

_Lettera_N_4310

Al commendatore Antoine Lonkay

[Torino], die tertia februarii 1886

Pax Christi sit semper nobiscum!

Maximas gratias tibi ago pro quinquaginta libellis argenteis, quas mihi mittere voluisti, paucos abhinc dies, nomine tuo atque adiutorum meorum, qui in Hungaria morantur. Unum doleo, quod plurimis saepe curis pressus haud citius quam optaveram, has tibi literas dederim. Verum quae tu enixe cupis, faciat Deus ut paucis post [annis] e tuo consilio meoque desiderio bene nobis succedant.

Et ego, Carissime Vir, mihi et omnibus meis acceptissime, quae tu vis cupio, atque Deum quotidie rogitō ut aliquando veniam cum filiis meis et apud vos. Illa nempe dies esset nobis procul dubio albo signanda lapillo, cum tot bonorum virorum supplicationes erunt a Domino exauditae.

Quae iussisti vel apud Laurentium Romano bibliopolam vel apud Margotti libentissime faciam. Hic vero clarissimus scriptor, quem optime Tertullianum et labi nescium adpellaveris, iamdiu valetudine laborat. Nunc autem meliusculum se habet, sed haud ita multo.

Et ceteris, qui tecum munus obtulerunt, velim te plurimis meis verbis gratias agere.

Demum, Carissime Vir, te mihi et nostris rebus addictissimum Deus sospitem semper reddat, ut ego ex corde tibi efflagito atque auspicor. Vale!

Joannes Bosco sacerdos